

quæ abluendo deleri non potuerant. Verum de codicum rescriptorum ratione, de qua sæpe atque cum cura traditum est, plura dicere nihil attinet.

Paucis igitur quæ de membranis, quibus hæc fragmenta continentur, dicenda sunt, absolvam. Octo folia sunt: quorum duo paria ad octavum discerpti libri quaternionem pertinent, primum scilicet atque sive secundum sive tertium eiusdem par: de duobus reliquis ne hoc quidem liquido asserere ausim ea ad unum eundemque quaternionem pertinere. Cuncta folia, ut ad eundem modulum cum ceteris, quæ ad conficiendum novum codicem librarius congesserat, redigerentur, aut a superiore aut ab inferiore ora, resectis aliquot versibus, quorum numerus determinari nequit, deminutionem passa sunt: ne quoad latitudinem quidem illæsa remanserunt: abscissa utriusque folii ora cum extremis versuum litteris in uno pari; in reliquis tribus, mutata ad angustioremodulum plicatura, alterum folium intonsum remansit, alterius paulo plus quadrante resectum fuit. Membrana tenerrima est: litteræ ex earum genere sunt quas vulgo unciales vocant, iis similes quibus Gaii institutiones scriptæ sunt: ita decoræ, ut nihil possit videri elegantius: iam vero, ut hic codex mox post editum ab auctore opus scriptus fuerit, anno 450 antiquior non foret.

Auctoris nomen, si olim in superiore paginarum ora inscriptum extabat, abscissum simul cum illa periit. Ac primo quidem de eo quæri potest, sintne ab uno scriptore profecta universa hæc fragmenta, sive a diversis: nam inscriptus titulus carmini V. *Epü Paeto*, auctoris nomen loqui videtur: neque deerunt fortasse qui Ridoarium aut Ridoarem carminis III. auctorem credent. Verum ante quam in hanc disputationem ingrediar, de panegyrica oratione